

non possumus. Quod si igitur non possimus demonstrare, quæ sit mensura angulorum semicirculi, cum tamen ad rectos maxime accedere videantur, multo minus aliorum angulorum in reliquis segmentis eiusdem circuli certam mensuram comprehendere poterimus, cum hi segmentorum anguli multo magis a natura rectorum deflectant. Et quid fiet de angulis minimorum ad circumferentiam segmentorum, etiam sensum omnem penitus effugientium? certe nulla in his vel angulorum, vel superficiei erit mensura. Haud igitur immerito exclamare possumus, Tantæ molis erat circum quadrare rotundum!

*Declaratur propositio penultima libri primi  
elementorum Euclidis.*

## CAPUT VII.

**P**ROPOSITIO penultima libri primi Euclidis aurea & nobilissima est, iuxta quã omnia examinare oportet, quæcunque in tota Geometria demonstratur. Eatalis est, In rectorangulis triangulis, quadratum a latere rectorum angulum subtendente descriptum, æquale est duobus quadratis, quæ a lateribus rectorum angulum continentibus describuntur. Demonstrationem huius theorematis, cuius inuentio Pythagoræ tribuitur, repetere nolo: est enim notissima, & a pluribus commẽtatoribus fideliter exposita: id tantum hoc loco agam,